



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 100. Oratio Pontificis ad initium Conventus Mantuani

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

S. C.

Sæcul. XV.  
A. C. 1459.*Oratio Pontificis ad initium  
Conventus Mantuani.*

Absoluta Episcopi oratione, Pontifex ipse e folio suo brevem sermonem habuit, dixitque: *Speravimus hanc urbem adeuntes, frequentes, qui præcessissent, Regum Legatos invenire, pauci adsunt. Non est Religionis cura apud Christianos, quantum credidimus. Conventionis diem longissimam statuimus: nemo brevitatem accuset, nemo viarum incommoda causetur. Nos ægritudine laborantes, & affecti senio, Apeninum, & hiemem contempsimus: nec nos alia Roma remorari potuit, quamvis nostram præsentiam magnopere desideraret medius inter latrones constituta: reliquimus Ecclesiæ patrimonium non sine periculo, ut Fidei Catholicæ subveniremus, quam Turcæ pessumdare nituntur. Videbamus illorum opes in dies augeri, & arma, quæ jam Græciam, & Illyricum obtinuissent, in Pannonia grassari, & Hungarorum fidelem gentem multis afflictere cladibus. Cogitavimus hoc malum avertere: indiximus hoc loco Conventum: vocavimus Principes, ac populos, ut communi consilio rem christianam tueremur: venimus spe pleni, quam vanam fuisse dolemus. Pudet nos tantam esse Christianorum negligentiam: alii deliciis indulgent, alios avaritia retinet.*

Comment.  
Pii II. lib. 3.

P p 2

Tan-

Sæcul. XV. Tandem prosequitur Pontifex: Tur-  
A. C. 1459. *cæ pro sua damnatissima secta non recusant  
 mortem: nos pro sancto Christi Evangelio  
 nec subire sumptus nec labores perferre vel  
 minimos possumus. Exceperunt omnes  
 summa attentione Pontificis verba, ejus-  
 que Religionis studium amplis extulerunt  
 præconiis, præcipue vero cum diceret:  
 Nos hic Mantuæ tamdiu manebimus, donec  
 animos Principum exploremus. Quod si ven-  
 turi non fuerint, necessarium quidem erit do-  
 mum repetere, eamque sortem ferre, quam  
 Deus dederit. Verum defendendæ Religio-  
 nis propositum, quoad vires vitæque suppe-  
 tant, nec deseremus, nec durum putabimus,  
 si res petierit, pro ovibus nostris animam  
 ponere.*

## §. CI.

*Principes datis literis ad Conventum  
 Mantuanum a Papa excitati.*

Inchoato hoc Conventu summus Ponti-  
 fex primas eo curas intendit, ut Im-  
 peratorem, Regem Franciæ, Sabaudia  
 ac Bavaria Ducem, Venetos, Florenti-  
 nos, aliosque datis literis adhortaretur,  
 ut vel ipsi Mantuam venirent, vel saltem  
 Oratores suos eo legarent. Interea dum  
 hæc geruntur, Mantuam adveniunt Le-  
 gati Thomæ Peloponesi Principis, qui  
 erat unus ex viventibus adhuc defuncti  
 Impe-